

DE
**THEOCRATIAE ET HIERARCHIAE
DISCRIMINE.**

PROGRAMMA

QUO

ORDINARIAM THEOLOGIAE PROFESSIONEM

IN

ALMA ACADEMIA TURICENSI

AUSPICATURUS

AD

AUDIENDAM ORATIONEM PUBLICAM

DE VI, QUAM ECCLESIAE REFORMATORUM
PROPRIETAS HODIE QUOQUE IN THEOLOGIAM DOGMATICAM
EXCOLENDAM EXERCEAT

DIE I. MENS. MAII HORA XI

IN AULA ACADEMICA HABENDAM

OMNI QUA DECET REVERENTIA

INVITAT

IOANNES PETRUS LANGE

THEOL. DR.

TURICI

TYPIS ULRICHIANIS.

MDCCCXLI.

DE
THEOLOGICAE ET HISTORICAE
DISCIPLINAE

PROGRAMMA

ANNO DOMINI MCMXXI
IN DIEBUS QUIBUS PROFESSORIBUS
ACADEMIAE THEOLOGICAE

THEOLOGICAE ORATIONIS PERITIAM

DE VI. CLAU. THEOLOGICAE REFORMATIONIS
THEOLOGICIS REBUS QUAE IN THEOLOGICIS FORAMEN
EXCITATAE SUNT

DE I. MESS. JANI BONA XI
IN ALTA ACADEMIA HANNOVERA
DIE VI. MESS. JANI BONA XI

THEOLOGICAE DISCIPLINAE

THEOLOGICAE
DISCIPLINAE

Gravis momenti mihi haec quaestio esse videtur: quomodo regiminis species, quae theocratia et hierarchia vocantur, inter se differant. Quam quaestionem dissertatione mea inaugurali ut tractarem, variae causae me moverunt. Quum enim in ordinem theologicum universitatis literariae Turicensis vocatus disciplinas theologiae dogmaticae et historicae colendas suscepturus sim, probabile mihi visum est, primitias edere, quibus hae duae studii theologici partes coniunctae viderentur. Atqui hanc coniunctionem quaestioni propositae inesse haud dubitetur. Deinde quum exercitationes mere scholasticas non satis esse iudicem in munere ingrediendo, cuius nomen a profitendo derivatum sit, equidem non nego, me et hac disquisitione rem talem agere, quae iam diu animum commoverit, saepiusque agitaverit. Etenim iam pridem mihi visum est desiderium esse publicum, ut discrimen hoc, quod tractaturus sum, denuo illustretur, quum notiones hae graves theocratiae et hierarchiae multis in scriptis tum mere historicis, tum theologicis, nec non vulgi opinionibus summopere confundantur, quin etiam permutentur. Siquidem plures viri docti theocratiam illam puram, a cuius motibus religio populi Israelitici origines duxit, medii christianorum aevi hierarchiae equiparabant, non defuerunt alii, qui hanc hierarchiam cum theocratiae

splendore exornarent. Unde factum est, ut ex parte una magna odia in civitatis dei principia et facta, quinimo in ipsam fidem christianam congererentur, ex parte altera multi hanc fidem liberam sincere profitentes in hierarchiae illius reverentiam, a professione sua alienam implicarentur. Sed ne scientiae fines transgredi videar, hosce illius notionum confusionis effectus, aevo nostro vigentes, omittendos censeo. Nec de theocratiae et hierarchiae signis temporibus nostris latentibus, sed de magnis ambarum speciebus, iam pridem expressis, agam. De rebus magnis pro viribus modeste disserere mihi propositum est.

Quod ipsas, quas tractamus voces attinet, animadvertendum est, utramque duabus radicibus esse compositam, alteramque ab altera non modo ea radice, quae ad principium respicit, sed ea quoque, quae consequentiam, vel effectum indicat, omnino differre. Principium alterius regiminis, quod theocratiae voce significatur, in deo, alterius autem, hierarchiae scilicet, in *ιερω* latet, primum ergo a revelationibus divinis, vel a vitae coelestis fontibus, alterum a sacerdotibus, vel ab ordinibus sacris pendet. Qua prima differentia secunda, e radicibus sequentibus emergens, annuntiari videtur. Etenim theocratiae species regiminis verbo *κοάτος*, hierarchiae verbo *ἀρχή* definitur, quorum prius potentiam indefinitam quandam, vel potestatis substantiam, posterius autem potestatem certam, vel potentiae formam denotat. Idem discrimen inter aristocratiam vel democratiam et monarchiam vel polyarchiam consistit, quarum notionum priores non ad formam, sed ad normam, non ad principatum, sed ad principium gubernationis cuius-

dam, posteriores contra ad statum quendam publicum, eiusque ordines et actiones respiciunt. Duplicis ergo ut discriminis nostra in expositione simul memores rei convenit.

Iam vero theocratiae notio, quum definienda sit, ita facile possit extendi, ut universam, qua deus regit cursum humanarum rerum, gubernationem complectatur; quandoquidem omnia, quae fiunt, a dei nutu et regimine pendent. Notio hoc sensu latiori constituta tum hebraicae, tum christianae religionis dogma est; quod in libris Veteris et Novi Testamenti persaepe occurrit¹⁾. Quare et Iosephus, quum de institutionibus gentis suae disserens hoc theocratiae vocabulum primus formaret, et introduceret, ad deum, omnium rerum auctorem respexit²⁾. Nec vero negari potest, finem hunc propositum esse arti historicae, ut omnes rerum humanarum mutationes hoc respectu, quatenus a deo regantur, explorare studeat. Nec desunt cum veteribus³⁾ tum nostris⁴⁾ temporibus multorum ad intelli-

1) Confer Gen. 1, 1. — Deuteron. 52, 8. — Psalm. 2. — Ies. Vat. 40, 26. — Act. 14. — Cap. 17, 24 etc., et mult. al. loc. — Vide de Wette: *Lehrbuch der hist. krit. Einl. in die kanon. u. apokryph. Bücher des A. T.* pag. 177.

2) Conf. Ioseph. contr. Ap. 2, 16.

3) Augustini libr. de civ. dei. — Sulpic. Sever. hist. sacra, e. a.

4) Bräm: *Blicke in die Weltgesch.* — Barth: *die allgemeine Weltgesch. nach bibl. Grundsätzen.* — Braunschweig: *Umriss einer allgemeinen Geschichte der Völker.* — Grundtvig: *Weltchronik.* — Leo: *Lehrbuch der Universalgeschichte.* — Cieskovsky: *Prolegomena zur Historiosophie.*

gendam secundum hanc normam, scribendamque historiam conatus. At tamen vox theocratia nondum hoc sensu in usum est redacta, sed plerumque sensu strictiori definita a viris doctis introducitur ad singularem illam regiminis speciem significandam, qua deus interveniens Iudaeorum populum duxerit et erudiverit. At iam in eo a vera theocratiae cognitione plures aberrant, quod eius principium non in deo, semet ipsum revelante, sed in sacerdotibus hebraicis, quippe qui legem revelationis specie subdiderint, positum esse asserunt⁵⁾. Qui aut deum, tota mundi mole

5) Ita a *Bohlen* (*die Genesis* etc.) statuit, legem hebraicam sacram, sacerdotum cura temporibus Iosiae, Iudaeae regis, exortam esse. Quem refutaverunt *Drechsler* („*Die Unwissenschaftlichkeit* etc.” pag. 43), *Bleek* (*De Geneseos origine*, Bonnæ 1856) et alii. Quod legem Mosaicam, libris Pentateuchi conscriptam in genere attinet, plures exstiterunt viri docti, qui authenticam eiusdem negarent, nec non vaticinia institutiones sacerdotales antecessisse contenderent. Conf. *Valke*: *Die Religion des A. T.*; et quod ad eundem refutandum egregie scripsisse videtur *Stähelin* in ephemeridibus: *Lit. Anzeiger für christliche Theologie und Wissensch.* 1858, Nr. 64 et seqq. — Sed de hac lite, quatenus ad Vet. Test. scripta singula pertinet, nobis hic non est diiudicandum. Seriem autem magnorum Vet. Test. momentorum, ut in sacris libris expositam videmus, probandam puto. Ii, qui prophetarum vaticinia praecessisse contendunt, temporum ordinem turbant, religionis explicationem ignorant, progressum civitatis dei negligunt; idem est acsi Protestantium confessionem confessioni catholicae non tantum quoad radices, sed etiam quoad formam antecessisse affirmarent. Legem delere videntur, secundum quam omnes res crescunt, ascensionis et explicationis lentae

ab hominibus separatum, aut pari modo ubique operantem fingunt, revelationem negantes. Dum viam priorem ingrediuntur, non meminerunt, deum ubique praesentem omnia tenere, quum viam posteriorem, neque humani generis, neque historiae eiusdem structuram satis bene noverunt. Etenim deus, siquidem ubique agens, efficientiam nihilominus praeclarissimam in electorum hominum mentibus patefacit. Ii, qui haec discrimina in genere humano negligunt, generis universi rationem, nexum sacrum ad religionem pertinentem, unitatem denique ignorant⁶⁾. Quum autem peccatorum effectum humana natura parum sit apta ad dei verba et opera suscipienda et promulganda, efficientia haec dei non modo in primis ad salutem hominum spectat, sed etiam, quod formam attinet, vi quadam miraculosa naturam inferiorem natura coelesti domans prorumpit.

legem dico. Quomodo gravibus argumentis negare possint, explicationem religionis hebraicae, vaticiniis datam, explicatione lege constituta uberiorem esse, altioremque gradum significare? Iam vero multis modis prophetarum religio in Novum Test. transgreditur, immo legis sacerdotalis abrogationem praesagit. Conf. Ies. 1, 41. 48. — Cap. 66, 5. — Ier. 31, 31—34 e. m. a. l. — Lex mosaica praecipue populo Israelitico e populorum ethnicorum sordibus erudiendo operam dedit; vaticinia inprimis populi reformationem internam curaverunt. Iam vero munerum horum, quid prius fuerit, manifestum est.

6) Conf. Conradi: *Christus in der Gegenwart, Vergangenheit und Zukunft*, pag. 75. — Schaller: *der hist. Christus*, pag. 57. — Göschel: *Beiträge zur spekulativen Philosophie von Gott und dem Menschen*, pag. 271.

Deinde et id ad revelationis notionem valet, quod deus ratione vel dispositione certa genus humanum restituit, instituitque. Ex revelationis fonte autem theocratia emanat. Quinimo et ipsa theocratia est revelatio, qua deus, mundi dominus, potestatem suam manifestat. Inde iam concludi possit, theocratiam non esse formam quandam regiminis publice constitutam. Theocratia enim divina est; at status publicus, quum res humanae ubique peccato contaminatae appareant, nullus mere divinus inveniatur. Nec igitur in rebus publicis Iudaeorum theocratia constitit⁷⁾, ut multi opinantur⁸⁾. Status publicus huius populi persaepe mutatus est, theocratia eadem semper aderat, singulasque illas mutationes vel correxit, vel sanxit, a potestatibus haud raro violata omnibus superior evasit. Prima institutionum publicarum forma populo migrante apparet; gens

7) Recte et *Vatke* (*die Rel. des A. T.*, 1. Thl., pag. 209) de theocratia contendit: „*dass es gar keine Staatsform im gewöhnlichen Sinne des Wortes ist.*“ Si autem pergit: „*es ist vielmehr eine religiöse Anschauung, Resultat und Abstraktion von schon ausgebildeten, sittlichen Verhältnissen, und ist mehr geeignet, die moralisch-religiöse Seite des Lebens zu läutern und zu erheben, als rechtliche und sittliche Verhältnisse zu gründen*“ idem sacras institutionum religionis hebraicae origines, de quibus supra disputavimus, ignorat.

8) Ita *Schlosser* (*Universalhist. Uebersicht der Gesch. der A. Welt u. ihrer Kultur*, 1. Thl., pag. 203) meram theocratiam numerum pontificis et principis coniunctione constitutam esse iudicat, ipsamque Mosaicis institutionibus obfuisse affirmat. Sed institutiones Mosaicae potius e theocratia profluxerunt, ut ante ostendimus. Recte autem auctor vidit, Mosen dominatum sacerdotalem non condidisse.

a servitio aegyptiaco liberata ducem Mosen sequitur, qui auctoritate prophetica ornatus dei nomine ei praest. Institutionem sacerdotalem hoc tempore muneri prophetico omnino subiectam fuisse, apparet⁹⁾. Si autem magistratum spectamus, bene notandum videtur, quod Moses, quum seniorum forum ad populi lites iudicandas condiderit, id non dei mandato, sed soceri Iethro, viri scilicet ethnici consilio fecerit¹⁰⁾. Quibus patet, tunc temporis theocratiam neque in sacerdotio, neque in iurisdictione publica, sed in munere Mosis prophetico latuisse; quamquam idem leges ethicas, institutiones publicas, ordinesque sacerdotales, quibus gentem suam ut dei populum institueret, ab omnibusque gentibus idololatrias segregaret, e theocratiae fontibus hausit, certoque foedere, quo cum Iehova ligavit populum, confirmavit¹¹⁾. Haec enim eruditionis sacrae populi fundamenta non ita iacta erant, ut explicationem politicam rerum publicarum regiminisque mutationes impedirent¹²⁾. Deinde Iosuae, sequentiumque iudicum temporibus formam regiminis propheticam in formam prophe-

9) Conf. Exod. 4, 16. Ubi Moses propheta ut Aaronis pontificis futuri deus introducit. Vid. et. Cp. 52, 22.

10) Vid. Exod. 18, 14—24. — Conf. *Valke* op. cit., pag. 206.

11) Vid. Exod. 19, 5. 6. — Exinde pluribus visum est, ipso foedere theocratiam niti, e. g. *Stuedelio* in libro: „*Vorlesungen über die Theologie des A. T.*“, pag. 280. At monendum est, theocratiam foedere priorem esse, eam foedus icere, idque populo desciscente ruptum restituere. Exod. 54, 28. — *Ezech.* 20, 37.

12) Vid. *Deuteron.* 17, 14. c. s.

tico-heroicam conversam videmus. Atqui illos tantummodo motus, quibus viri heroici ad populum servandum, vel regendum excitabantur, a dei spiritus nutu deductos invenimus; ceteroquin status publicus quam maxime dissolutus apparet¹³⁾. Iterum potestatis forma commutata est sacerdotis Eli diebus; tunc demum principatus sacerdoti summo delatus esse videtur¹⁴⁾. Iam vero hic praeclare conspicitur theocratia ipsa quantopere et a sacerdotio et a principatu politico seiuncta maneat, quandoquidem Samuel, puer famulus, theocratiae spiritu excitatus ad sacerdotem Eli, senilem principem mittitur, eique minas, a deo sibi traditas, refert¹⁵⁾. Iudicem Eli sequutus est Samuel, a quo, quum senesceret, tandem populus regem sibi petivit. Samueli haesitanti dominus imperavit, regem ut populo daret¹⁶⁾. Ubinam theocratia latet hoc momento? Neque in rege, qui nondum adest, neque in principe sacerdotali, qui haesitat, neque in populo, qui verbo dei reprehenditur, sed quasi nova revelatione e deo, principio suo, emanat. Monarchia demum adest, sed theocratia non evanescit. Nec ipsam populi et terrae in duas partes divisio sustulit. Ubique in utroque regno persaepe laesa et oppressa novis viribus prodiit, regibus benedicens, reges increpans; a sacerdotibus modo afflicta, modo exercita, vates fallentes verbo vatium fidelium oppugnans; nulla persona, nullo

13) V. iudicium libr.

14) Libr. 1 Sam. 2.

15) 1 Sam. 5.

16) 1 Sam. 8, 7.

munere, nulla institutione indefinenter representata; omnes status exsuperans¹⁷⁾, interdum et pastorum rusticorum vaticiniis vigens¹⁸⁾. Ac denique in populi exsulis conditione miserrima novo splendore affulget¹⁹⁾. Numquid hisce momentis sententia illa vulgaris, theocratiam nil nisi institutionem sacerdotalem fuisse, stabiliri possit²⁰⁾? Quae potius erat, quod vocabulum ipsum significat, potestas dei, semet ipsum in explicatione religionis hebraicae revelantis, introductio dogmatum et principiorum civitatis dei in rem publicam, spiritus dei electorum hominum mentes miro afflatu excitantis, opere perpetrata. Sive homines divinorum mandatorum interpretes spectamus, erat theocratia spiritus ille familiaris populi Israelitici vere mysticus, qui omnia, quae gentem ad scopum sacrum propositum dirigerent, ad deum retulit. Itaque quum pateat, theocratiam ne sensu quidem mere ecclesiastico ordinem fuisse sacerdotalem, qui fieri potuit, ut plures viri docti hanc spiritus divini manifestationem cum medii christianorum aevi hierarchia confunderent, etiamque alteram altera permutarent? Quod certe fieri non potuisset, nisi omnino de religione Hebraeorum, Vet. Testamenti libris descripta, multa parum apta

17) Conf. Reg. et Chronic. libr.

18) V. vatic. Amos. 7, 14.

19) V. Ezech. vatic.

20) Theocratiam non fuisse sacerdotium fortasse exinde quoque conspiciatur, quod Elias, ipse sacerdotio non fungens, illam restaurans sacerdotes malos (*Pfaffen*), scilicet deo Baal addictos (*Baals-pfaffen*) nece punivit.

virorum doctorum placita in theologiam irrepsisse videremus²¹⁾. Partem igitur tantummodo iniuriarum, quibus

21) Vet. Testamenti religio iam ab antiquissimis ecclesiae temporibus multis modis detrectata est. Philosophantium illorum, quos gnosticos vocant, plures non modo Vet. Testamentum, eiusque doctrinam, sed et ipsum mundum visibilem, quem a deo creatum testatur, a deo quodam inferiore originem ducere asseruerunt. Aevo recentiori qui Deistae sunt dicti Vetus Test. quasi impostorum opus increpauerunt. Sociniani iam antea verbis quidem percautis contenderant, Vet. Testamentum ad summam ipsam religionis christianae nihil valere (conf. *Winer comparative Darstellung* pag. 52) — Rationalistae tandem notiones Hebraeorum de sacrificiis in sententiarum populorum incultiorum numerum adscribere non dubitaverunt (conf. *Wegscheider instit. theol. christ. dogm. ed. V. pag. 425.*). Quos hic cum caeteris ut refutatos potius quam ut refutandos allegamus. Atqui non ii tantum, qui in rebus theologicis vulgarem intellectum profitentur, sed etiam eorum plures, qui religionis christianae mysteria amplectuntur, haud raro de Vet. Test. religione minus convenienter iudicaverunt. Ita *Schleiermacher (Glaubenslehre 3. Ausgabe, pag. 47)* de Iudaeorum fide affirmat, eam cognatione quadam cum ipsa idololatria cohaerere, quippe quae caritatem Ichovae solam Abrahami stirpem complecti doceat, parum recordans, quod et ipsius Abrahami caritas gentibus ethnicis benefecerit, nec non pro Sodomitis precatus sit, benedictionis immemor, quam deus Abrahamo eo dedit pacto, ut per eius prolem in omne genus humanum flueret. Facile autem e Vet. Testamento sententia erui possit, non eam ob causam gentem Israeliticam a gentibus pro tempore segregatam esse, ut omnes benedictione divina privarentur, sed hanc segregationem nihil aliud fuisse, nisi dispositionem, qua deus et populis idololatriis salutem praeparaverit. Itidem *Hegel*, de religionis Hebraeorum

in universum vera religionis hebraicae cognitio oppressa laborat, attingimus, errores, qui prae caeteris theocratiae notionem perturbent, examinantes. Iam vero non pauci exstiterunt historiae scriptores, qui theocratiam antiquam cum medii aevi hierarchia omnino confunderent²²⁾ Ita C. a

indole philosophans (*Vorlesungen über die Philosophie der Religion*, 2 Bd. pag. 69—71 et seqq.) eandem servitute populi erga deum dominum, qui auctoritate absoluta, exclusis libertatis motibus, populum rexit, constituisse contendit. At ex ipsis hisce servitiis libertatis initia efflorescunt (conf. Exod. 6, 6 ect. Psalm. 119, 111.). Idem non vidit, Hebraeorum doctrinam de immortalitate, quam illos professos esse negat, non tantum e dictis obscuris quibusdam de vita futura, sed omnino e sententiis, de vita beata, piis promissa, eruendam esse. Conf. *Bauer, die Religion des A. T. Erster Theil* pag. 169, ubi auctor recte monet, libertatem populi servitutum antecessisse; sed libertatem e servitute favente dei gratia orientem non aequè cognovit (pag. 174). Notandum est, discrimen inter Vet. et Nov. Testamentum non in eo positum esse, quod alterum ab altero specie differat. Eadem enim est revelatio, idem est spiritus in utroque agens, quare et utriusque eadem est substantia; sed explicationis forma, et gradu vigoris et integritatis vitae coelestis in vita humana apparentis valde sunt diversa. Similis diversitas in una eademque planta metamorphosis vi procreatur; eadem exempli gratia est substantia in aloës spinis quae in flore, nec ullus plantarum peritus folia dura et spinosa aspernari possit, quasi calyci tenero, sero efflorescenti, non conveniant.

22) Vid. K. v. Rottek, *allgem. Gesch.*, 10. Aufl., Bd. 1 pag. 125: „Das Volk beharrte auf seiner Forderung, bis Samuel ihr endlich entsprach und mit schlauer Politik aus einem der

Rottek iam in theocratia hebraica pontificium callidum et fraudulentum inveniri putat; dissensum, qui inter Samuelem et regem Saul exortus sit, similium medii aevi litum praeludium fuisse affirmat. Simili modo pluribus placuit, Samuelem venerabilem in hierarchae astuti, terribilisque speciem transfigurare, quare idem, quem olim anus fatidica vel maga turbare, atque incantationibus in medium vocare videbatur, identidem ut spectrum, Gregorii VII larva obductum, nostratibus apparere cogitur²³). Atqui ita opinantes temporum ordinem miro modo confundunt, historiam immo-

geringsten Geschlechter, vom unbedeutendsten der Stämme, Benjamin, einen Mann zum König salbte, von welchem, wiewohl er durch Geist und Muth sich auszeichnete, der Priester, der ihn aus dem Staube erhoben, keine ordentliche Beschränkung der usurpirten Macht besorgen zu dürfen schien. — Das Verhältniss zwischen Samuel und Saul kann man als das traurige Vorspiel einer langen Reihe von ähnlichen Kämpfen betrachten, welche die Geschichte des Mittelalters entstellen. Saul, weil er sich vermass, des Priesters Befehlen, die als göttliche Befehle gelten sollten, nicht blinde Folge zu leisten — wurde von Gott verworfen. — Dem Philosophen, Bürger und Staatsmann ist es wichtig, auch in dieser hebräischen Theokratie schon Priesterbetrug wahrzunehmen.” — Quae eodem sensu Leo in opere suo: *Vorlesungen über die Gesch. des jüd. Staates*, pag. 56 et seqq., pag. 156, 159, 155, et alibi asseruit, alleganda non putamus, quia ab ipsa auctore postea retractata esse videntur. Odia, quae cum talibus de sacerdotio Hebraeorum sententiis sunt coniuncta, etiam in opera poetica irrepserunt; conf. tragoediam, quam scripsit Gutzkow: *König Saul*.

23) Conf. Knobel, *der Prophetismus der Hebräer*, 2. Theil

bilem, sterilem, tristemque fingunt, phantasmata denique prosequuntur. Quum enim hierarchiam illam politicam vitae christianae libertati, doctrinae progressui, ecclesiae motibus necessariis restituisse constet, theocratiae obtrectatoribus hanc idem fecisse probandum fuisset. Exinde sequitur et hoc demonstrandum esse, tunc temporis extra theocratiam iam adfuisse vitae altioris, vel purioris semina, veritatis scilicet, iustitiae et caritatis principia, haecceque theocratiae servis ita in odio fuisse, ut ea exstinguere quam colere maluerint. Quod nemo umquam probabit. Nam ipsa theocratia progressus est vitae perfectioris, omnino divinae, mentibus heroicis vicens, vitae vulgaris renisum inspiratorum animorum fortitudine domans. Non omnes autem motus comprobat, neque inquietudinis, neque erroris progressus collaudat. Primum, gloriosissimumque eius factum erat institutio nova legis latae, Mose interveniente. Secundum factum haud minus gloriosum erat, scilicet legis laesae restitutio interveniente Elia. Attamen et hoc casu renovatio vera vindicatur, dum lex antiqua restituitur. Sine dubio enim Elias, legem restaurans cultus ethnicos inveteratos, opiniones et traditiones pestiferas aevi antiquioris oppugnavit²⁴). Quod ingenium legis mosaicae fuisse videtur;

pag. 28 et seq. — auctor Samuelis laudem ab obtrectationibus bene vindicavit.

24) Vid. *Movers, die Phönizier*, imprimis quae de cultu dei Bel vel Belitan pag. 299 et seqq., quae de sacrificiis, deo Moloch oblatis, pag. 372 et 382, quae de altaribus deo Baal devotis victimisque humanis nefandis, in iisdem sacrificatis, pag. 408 refert.

religionum gentilium scandala tollere tentavit. Dogma et praeceptum de deo uno colendo superstitionibus, diisque fictis opposuit; ad idolorum cultum diruendum invisibilem dei et spiritualem naturam proclamavit, obsecrationes sinistras et magicas mera dei invocatione removit, ab anxietatibus et curis animos, laboribus obstrictos, ad meditationis quietem per Sabbati institutum revocavit; principia humanioris vitae, quibus nos adhuc in rebus publicis fruimur, delineavit et munivit. Itaque et leges, quae leviticae vocantur, eae verbi gratia, quibus lavationes sacrae erant praescriptae, populum morum e sordibus ut eruerent, munditiemque internam ei adumbrarent, sibi proposuerant²⁵⁾. Is igitur erat theocratiae scopus, vel conatus: removit gentium barbariem superstitionis a populo electo²⁶⁾, procuravit sacram populi eruditionem, nova et novissima salutis et vitae caelestis tempora signis praefiguravit²⁷⁾; eademque praeceptis et promissionibus praeparavit; omnia civitatis dei principia in mundum introduxit, nec ullum igitur sive vitae, sive doctrinae, sive reipublicae progressum impedivit; idque minus, quum ipsa esset Veteris Test. in Novum Test. progressus. Hac vero ratione quasi toto coelo ab hierarchia erat diversa,

25) Conf. Deuteron. 4, 6, 7. cap. 5. — Levit. 15 et al. loc.

26) Vid. quod de Pinehae facto traditur Num. 25. — Videbatur quidem factum esse crudelissimum, sed erat theocratiae, vel potius religionis Hebraicae vindicta, qua Pinehas afflatu theocratico-heroico proreptus populum a gentilium morum nefariorum contagio expiaret.

27) Conf. opus egregium: *Bähr, Symbolik des mosaischen Cultus.*

quae quum regressus sit a Novo versus Vetus Test. ne in hoc quidem acquiescit. Attamen negari non potest, theocratiae candorem interdum hierarchiae initiis obductum fuisse. Sicut enim per nubila Phoebus, ita per humanos affectus paulatim prorumpens revelatio merum fulgorem in mundum emittit. Sed hierarchiae vitia, quae in Veteri Test. occurrunt, tantum ut accidentalia apparent, temporibus sequentibus nusquam comprobata; immo ipsius theocratiae actionibus semper tolluntur. Nisum illum dominationis pontificalem, quo filii Eli officio sacro ad fovendas pravas cupiditates abuterentur²⁸⁾, itemque aegritudinem Samuëlis, quam sentiebat, quum filios a regimine repulsos videret²⁹⁾, theocratia ipsa correxit. Nec ipse Elias, magnus theocratiae heros, correctionibus talibus vere mysticis vacat³⁰⁾. Huic spiritus theocratiam proferentis excelsitati convenit, quod Christus discipulis, qui veniam sibi peterent, ut Eliae modo ignem a coelo imprecarentur ad diruendum oppidum Samaritanorum quoddam, respondit: Nescitis cuius spiritus filii estis vos? Quibus verbis indicat, ea, quae Elias mandato dei fecerit, obscurate quadam, e prophetae animo oriente, laborare. Quamdiu autem theocratia ipsa viguit, hierarchia crescere non poterat. Tum demum efflorescere coepit, quum theocratia in animis piis recondita latesceret. Quare post populi restitutionem exsilio perfuncto paulatim aucta, Christi aetate potentissima apparet.

28) Vid. 4 libr. Sam. 2, 12.

29) Ibid. cap. 8.

30) Vid. libr. I Reg. 19, 11—18.

Eodem modo, quo tunc Hebraeorum, medio aevo christianorum hierarchia invaluit. Quodsi causam quaeramus, monendum est, fidei spiritum semper ad hunc scopum tendere, ut dogmatibus certis, symbolis declaratis, communionem fidelium stabilita, usibus et consuetudinibus sacris firmatis ad statum visibilem perveniat. Est nisus hic ecclesiae vitalis; apparitionem vitae internae mundanam in regno divino celebrare desiderat³¹⁾. Attamen hac via progrediens reformatione vel recreatione e fontibus carere sine damno nequit. Plantae nobiliores lente crescunt; ecclesia igitur, coelitus condita, lentissime augetur. Quamobrem patientia inprimis ei est mandata³²⁾. Sicuti autem peccati indoles omnino ita definiri possit, quod sit inertia quaedam praeceptis³³⁾; ita et in ecclesia, vitio humano depressa, eadem properantia, inertia invalescens, facile inveniatur. Inquieti, fervidique ecclesiae ministri, meditationi parum addicti, omnia e crescentiae statu occulto et laborioso in consummationis speciem convertunt; plurimorumque in rebus divinis inertiam sancientes potius quam oppugnantes ecclesiam omnibus numeris specie externa perfectam sibi comparant. Ubi autem regnum divinum statu consummato

31) Conf. ea, quae de domestico, de politico et de ecclesiastico statu, et de omnium horum in regno divino coniunctione et consummatione praeclare docuit *Nitzsch. System der christl. Lehre. 4. Aufl.*, pag. 344.)

32) Vid. epist. 2 Petr. 3, 15. — Apoc. 3, 10.

33) Conf. *Nitzsch op. cit.* pag. 204.

apparere videtur, ibi sine dubio et potentiam mundanam sibi vindicabit.

Fatum est humanum, ubique in gentium historia occurrens, quod regimen publicum facile in statione quadam eruditionis publicae ad sacerdotes transit. Quare et hierarchia, sensu latiori dicta, apud multos populos olim floruit⁵⁴⁾. Ubique autem ita crescere videtur hierarchia, ut fide languescente inertia et inquietudo ad religionis statum deformandum inter se conveniant. Populus (*λαός*) ordini (*κλήρω*) omnem liberum religionis cultum relinquit; ordo praeter ordinem omnia, quae ad religionem pertinent, administrationi suae subiicit. Omnes cognitionis, sanctitatis et reformationis segetes superstitionis inertis alluvie inundantur. Itaque forma vitam formatam, formula formam, formularius denique formulam magis magisque premit. Quum autem vitae, quam colere sacerdotium decet, religiosae, fontes manare non desinant, et veritatis vis mentes fideles agat, exoriuntur confessores vel reformatores, et evadunt martyres. Etenim hierarchiae cultores, meditationem negligentes, cognitionis recreationem fugientes,

54) Conf. ea, quae de civitatibus sacerdotalibus adfert Leo: *Lehrbuch der Universalgeschichte*, 1. Bd., pag. 20: „Im Priesterstaate sollte die menschliche Welt in fixirten Instituten erstarrt gehalten werden, um das ewig gesetzmässige Warten Gottes in ihr darzustellen; man suchte auf diese Weise Gott im Staate, und fand zuletzt: unnatürliche Verknöcherung, Erstarrung des formellen Daseins. Der Priesterstaat brachte es also nur zu einem Schein, zu einer Heuchelei göttlichen Waltens in den Verhältnissen der Menschen.

omnia fere execrantur, quibus ille, quo gaudent religionis status, quasi corruptus, examinatur, et quum ipsa hierarchia sit facta mundana omnia quoque mundana lege iudicant, errores denique, vel sententias, quas falsas esse putant, ut crimina publica punienda esse censent. Iam vero hoc hierarchiae ingenium vix usquam in gentium historia potentius quam medio christianorum aevo apparuit. Hanc hierarchiae speciem, quam nos spectamus, ecclesiastico-historicam vocare possis. Est enim et ea hierarchiae notio commemoranda, quae genus eiusdem mere ecclesiasticum significat, ordinem dico clericorum, qui gradibus certis, muneribus variis distinctus, vel articulatus, spiritu communi cohaerens, a superioribus vel episcopis, vel patriarchis, vel papa directus, altioris sanctimoniae speciem ferens, populo, eandem fidem confitenti oppositus est atque praepositus, eiusque confessionem et communionem regit³⁵⁾. De quo ordine, quatenus speciem mere ecclesiasticam servare possit, non agimus. At hierarchae christiani iam mature et indefinenter in potentiam publicam tendebant. Coelestia et terrestria uno imperio sacerdotali complecti sunt conati. Exinde exortum est systema illud ecclesiastico-politicum, secundum quod papae fere omnes ecclesiae gubernationem direxerunt. In quo opere autem eam ob causam miro modo profecerunt, quia clerici omnes, ante omnes autem ipsi ut omnium bonorum divinorum, imprimis dei gratiae mediatores omnino necessarios³⁶⁾ christiano

33) Conf. Rheinwald, *die kirchliche Archäologie*, pag. 50 et seqq.

36) Bellarmin *eccles. milit.* C. 2: „, excluduntur schismatici,

populo magis magisque semet ipsos commendaverant. De hierarchia hoc sensu definita dicimus; eandemque persaepe cum theocratia confundi, haecque permutari ostendimus. Inter eos vero, qui hanc opinionem, hierarchiae faventem, propagaverunt, praecipue excellunt *J. Voigt* libro, quem de Gregorio VII. ³⁷⁾, *J. Harter* opere, quod de Innocentio III. ³⁸⁾ scripserunt. Quorum quidem alter non tam ad theocratiam, qua gens hebraica ad fidem ducebatur, respicit, quam ad universaliorem illam, omnes res humanas dirigentem, quam supra descripsimus. Nec vero dubitat, Gregorium, quasi dei manu ductum, vel sancto illo spiritu, qui res humanas gubernet, directum, legem omnino necessariam secutum esse, asserere ³⁹⁾. Eundem sensu eodem, quo Lutherus, ecclesiae reformatorem fuisse affirmat ⁴⁰⁾. Recte quidem monet, Gregorii actiones non secundum opiniones vel principia nostri aevi diiudi-

qui habent fidem et sacramenta, sed non subduntur legitimo pastori, et ideo foris profitentur fidem et sacramenta percipiunt." — Conc. florent. diffinit. (v. *Winer* op. c. pag. 170). Diffinimus, sanctam apost. sedem et romanum pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum pontificem rom. successorem esse Petri, principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque ecclesiae caput, et omnium christianorum patrem ac doctorem existere.

37) *Hildebrand, als Pabst Gregorius der Siebente.*

38) *Geschichte Pabst Innocenz des Dritten und seiner Zeitgenossen.*

39) *Conf. op. cit. pag. 641.*

40) *Eodem op. pag. 642.*

candas esse; sed iam tunc adfuisse evangelii principia, Christi praecepta, atque in primis papae officiis fuisse, hisce in dirigenda ecclesia potius, quam superstitioni vulgari obtemperare, non meminit. Alter autem, quum hierarchiam cum theocratia comparat, priorem ut formam institutionum sacrarum eiusdem generis perfectiorem laudandam esse opinatur⁴¹⁾. Itidem regimen ecclesiasticum, ut Innocentii III. temporibus viguerit, summis laudibus effert⁴²⁾. Tandem eo usque progreditur, ut et ea, quae Innocentius ad extirpandos Albigenses et Waldenses decreverit, satis clare comprobet⁴³⁾. Cui in huius generis sententiis adsentiri

41) Op. cit. vol. 5, pag. 8: „Es soll ferner zugegeben werden, dass nach Ausbildung der gesellschaftlichen Verfassung Einiges der ehemaligen jüdischen Theokratie nicht bloss ähnlich, sondern mit bestimmter Rücksicht auf dieselbe seie nachgebildet worden. Kann darin ein Vorwurf liegen, dass die vollendetere Form dasjenige in sich aufzunehmen verstund, was auch der unvollendetere Haltung und Gewicht verlieh?“

42) Libr. cit. pag. 94: „Die Welt sah nie ein besser geordnetes, von Einem Geiste durchdrungenes, durch einen Mittelpunkt fester zusammengehaltenes Regiment, welches über weitere Länder sich erstreckt, verschiedenartigere Völker zu einem Ganzen schöner verbunden hätte, als dasjenige der Kirche in diesen Zeiten.“

43) Op. cit. pag. 245: „es musste sich ihm mit unabwiesbarer Macht die Obliegenheit entgegenstellen, diesem fortschreitenden Verderbniss einen Damm zu setzen, die seiner Hirtenpflege anvertrauten Seelen gegen die Gefahr zu schützen, und alle, welche sich ihm wider Gott aufzulhnen schienen, unter den Gehorsam desselben zurückzuführen.“ Pag. 248: „Die Pflicht gegen das Gesunde stand

videtur *Leo*, qui bella sacra adversum Albigenses gesta referens addit, itaque *feliciter* illam Manichaeismi speciem oppressam fuisse ⁴⁴). Nec omnino ab iis dissentit, qui Lutherum accusant, eum hierarchiam evertendo theocratiam quandam excelsam ingenio rudi et immoderato debellasse ⁴⁵).

Iam vero non modo concedendum est, sed etiam collaudandum, multa in hierarchiae rebus gestis occurrere, quae vero theocratiae candore niteant. Habet sine dubio partem divinam, tractum fidei et caritatis christianae saluferum, quo

ihm höher, als die Schonung des Kranken; tiefe ja bei Nachsicht jenes zuerst Gefahr. Er erklärte die hartnäckig Verharrenden der Gewalt des Satans heimgesfallen; wollte, dass sie aller Lehen und Besitzungen, die von der Kirche abhingen, beraubt, ihre Güter kathol. Nachkommen übergeben, oder wenn sie keine solche hätten, eingezogen, die Häuser, worin sie gewohnt, niedergerissen, sie selbst verbannt, sogar ihre Leichname aus der geweihten Erde, der sie übergeben worden, ausgegraben würden."

44) Lehrbuch der Universalgesch., 2. Band, pag. 260. Idem criminationes, quibus Albigenses petebantur ex Hurteri opere sine dubitatione suscipit, pag. 259. Has autem criminationes, ut calumniis perfusas, refutant Ephemerides: Le Semeur 1840, Nr. 25, duo nova opera, quae illas criminationes denuo examinaverunt, recensentes.

45) Op. cit., 5. Bd., pag. 96: „Mit gewaltiger, kämpfender Faust schlug er in ein Kunstwerk des menschlichen Geistes, an welchem derselbe oft unter Gottes sichtbarer Leitung ein Jahrtausend gebaut hatte, und dessen Herrlichkeit und innere Tiefe zu durchschauen Luther viel zu beengt in Bildung und Wesen war."

dotes divinas ecclesiae per tempora et populos medii aevi propagavit. Sicut enim gentium barbariem praeceptis, vitam christianam praeeparantibus, domuit, ita et regum immodicam superbiam, potentium ferocitatem cohibuit; multaque abstinentiae, fortitudinis spiritualis, misericordiae et studii theologici specimina praeclara edidit. Sed cum mundi pernicie certans inertia praecipitante, eamque ob causam artibus mundanis, illecebris, minis, execrationibus, caedibusque utens, ipsa in profundissimam mundi perniciem in diem magis detrahebatur. Neque nobis de initiis candidioribus, sed de exitu praeponderante sermo est. Hierarchiae autem ingenium in universum verae theocratiae spiritui non tam inservivisse, quam restitisse, haud difficile probetur. Sunt enim actiones eius tum superstitionum mere ethnicarum, tum purae christianae veritatis respectu diiudicandae. Quodsi hierarchiam ad superstitiones ethnicas, quas debellavit, refers, theocratiam quandam fuisse facile concedes, sin ad evangelii veritatem, certe proprio suo nomine eam vocabis. Deinde quia in ecclesia magis necesse est, christianam fidem, ecclesiae propriam, colere, quam externarum gentium barbariem erudire, concludendum est, hierarchiam idcirco, quod in fidei specie externa propaganda fidei ipsius vitam et libertatem oppresserit, theocratiae verae omnino contrariam esse factam. At iam specimina alleganda videntur, quibus vera hierarchiae indoles omnium consensu praeclare sese manifestaverit, eademque cum theocratiae institutis comparanda. Gregorius VII. quum nisum populi Slavonici, cultum lingua sua gentili exercere cupientis, ut „vanam temeritatem”, cui resistendum esset, designaret, decreta

similia paparum quorundam antecedentium confirmavit, eoque ecclesiam direxit, ut fidelium fides, lingua emortua obstricta, magis magisque a vitae et cognitionis via lucida in superstitionis obscurae statum soporatum converteretur. Valde alia certe Samuel ille, quem hierarcham fuisse dicunt, instituit, quum prophetarum scholam conderet; seminarium scilicet iuvenum nobilium, qui afflatu divino excitati, nova dei mysteria lingua viva liberrime profarentur⁴⁶⁾. Idem Gregorius clericorum coelibatum, usu quidem religioso inductum, lege rigorosa praecipiens⁴⁷⁾ matrimonii sacrum institutum honore sanctimoniae ecclesiasticae privavit, ipsamque vitam familiarem, omnis vitae humanioris fundamentum, macula quadam notavit; humanitatem a christianitate segregavit, itaque odia et bella sinistra, quae nunc obtinent inter humanitatem erroneam et Christianitatem erroneam, praeparavit. Atqui idem, quod hic depressit, profanavitque matrimonium theocratiae curis excelsioribus e profanatione ethnica in statum sanctiorem excultum fuerat⁴⁸⁾. Domina-

46) V. 1 Sam. 10, 5.

47) Conf. Gieseler, 2. Bd., 2. Abth., S. 12.

48) Conf. leges, ad matrimonium pertinentes, per Pentateuchum dispersas. E caritate dei, caritatem humanam procreantis, leges emanaverunt, quae consanguineorum matrimonia impedirent. Ita opere cit. pag. 518. Nitzsch de illis legibus disserit: „Der wesentliche Grund der 5. Mos. 18 und 20 verbotenen Ehe zwischen Blutsverwandten ist vom Gesetzgeber selbst deutlich angezeigt: Diejenigen, welche schon vermöge des voneinander oder miteinander Abstammens eigenthümliche Naturgaben der uneigennütigen Liebe und besondere Arten des menschlichen Gemeingefühls in sich tragen und

tum autem in principes, quem iam idem papa petiverat, quem et successores persaepe, populos a iureiurando in principum verba dato absolventes, sibi vindicabant, Innocentius III. tandem superbo animo exercuit, sententiaque illa notissima confirmavit, qua Papae dignitatem cum sole, regis cum luna comparavit⁴⁹⁾. Itaque hierarchia omni qua posset audacia imperii publici maiestatem laesit, rerum publicarum incrementa prohibuit, populorum fidem aequae ac libertatem perturbavit. E contrario autem theocratia quam sancte, quam tenere imperii publici motus et incrementa coluerit, iam supra ostendimus. Hierarchia denique in quaestione gravissima, omnino ad fundamentum fidei christianae pertinente, errores quam maxime perniciosos movebat interdum, ac semper fovebat. Quum enim fidelibus poenitentibus poenas ecclesiasticas imposuisset, eo pervenit, ut harum poenarum remissionem cum ipsa peccatorum re-

zu pflegen haben, können durch die eheliche Verbindung an diesem Besitze nicht gewinnen, sondern nur verlieren; die eheliche Liebe kann das nicht zerstören oder verwirren sollen, worauf sie sich zurückbezieht und was sie wieder hervorbringen und fortpflanzen will. So lässt sich der horror naturalis nicht allein ehren, sondern auch verstehen u. s. w."

49) Conf. Gieseler, libr. cit. pag. 409. Innocent. ita in Epist. ad Imp. Constantinop.: „Ad firmamentum igitur coeli h. e. universalis ecclesiae fecit deus duo magna luminaria, i. e. duas instituit dignitates, quae sunt pontificalis auctoritas, et regalis potestas. Sed illa, quae praestit diebus i. e. spiritualibus, maior est; quae vero carnalibus, minor est, ut, quanta est inter solem et lunam tanta inter pontifices et reges differentia cognoscatur."

missione divina confunderet⁵⁰); unde operum operatorum fiducia nequissima exorta est. Oppositam viam theocratia est ingressa; sacrificia quidem publica instituit ad peccata, quatenus essent publica, luenda, nec non ad mysteria evangelii adumbranda, sed poenitentiae et fidei necessitatem assidue praedicavit, et mentes ad vitae internae mutationem traduxit, observationum externarum fiduciam increpans⁵¹). Iam omittamus caetera; bella sacra, quae Innocentius III. praecepit, et inquisitionis execrabile institutum, quod provocavit, tantummodo commemorantes. Sed ne hierarchiae ministros nostri aevi moribus, principisque meliamur magno favore defensores cohortantur. Ac sane temporum varietatis ne simus immemores aequitas iubet, dummodo et ipsi meminerint, aevum christianorum unum esse, temporum varietates uno ingenio complectens. Est autem Christi aevum, quod cum verbo Christi, cum vita e Christo manante saecula omnia pervagatur. Iam diu Christi spiritus, misericordiae, patientiae et libertatis spiritus tunc temporis in mundum venerat, quum hierarchae christianos dissentientes igne et caede tolli curarent. Multa e sacris scripturis, multa ab ipsis parvulis fidelibus, quos odio sinistro persequebantur, discere potuissent, nisi fontem vitae christianae et libertatem eiusdem fastidio pontificali declinassent⁵²). Inde adhuc evenit, ut hierarchia tam immor-

50) Conf. quae auctor idem lib. cit. pag. 492 affert.

51) Psalm 54, 48, 49. Ies. vat. 4, 15—17. — Ioel 2, 15.

52) Conf. C. H. Sackii op. *christliche Polemik*, pag. 320 et seqq. ubi hoc hierarchiae vitium optime examinatur.

talís quam emortua non desinat, ecclesiae e fontibus recre-
ationi obsistere.

Iam vero quae attulimus satis videntur ad exponendum
discrimen, quod inter theocratiam et hierarchiam exstat.
Discrimen duplex ipsis vocabulis constitutum est, ita ut in
hierarchia res divinae a sacerdotibus pendent, in theocratia
e fonte ipsa, vita scilicet divina hauriantur; deinde ut theo-
cratia non sit potestas quaedam publica, sed tantum effi-
cientia dei quaedam singularis, civitatem divinam paulatim
condens, hierarchia autem sit regimen ecclesiastico-politi-
cum, systemate certo nitens. Altamen maximum discriminis
momentum in utriusque effectu nobis obvium est. Hanc
vero diversitatem in eo consistere ostendimus, quod theo-
cratia vitae hominum divinae culturam procreavit, atque
promovit, quam hierarchia impedire quam maxime conata
est. Providentia dei autem utraque utitur, et theocratiae
alis ad adiuvandum generis humani versus perfectam dei
civitatem progressum, et hierarchiae plumbea mole ad
coercendum nimium illius progressus impetum.